



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

VII. De Templo Dæmoniorum apud Cozgangiam destructo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

pallidus ad suos deuenisset, de ipsa huius trepidatione & eorum qui præmissi fuerant triduana occultatione apud omnes, præcipue vero apud Episcopum & Ducem tota nocte illa iucunda erat narratio. Monuit tamen pius pater filios suos & discipulos propter insidias latentis inimici, ut se circumspicere agerent. Tam diu ergo mansit in loco illo disputans & suadens de regno Dei quo usque omnis populus fidei sacramenta percipiens, fana sua destrueret & Ecclesie sanctuarium cum altari præpararet. Quod Episcopus consecrans, IOHANNEM presbyterum eis ordinavit, & ut reliquam basilicæ formam post suum discessum promoueret ammonuit.

DE TEMPLO DÆMONIORUM
apud Gozgangiam de-
structo.

DEINDE omni populo ualefaciens, & in multa caritate omnipotenti Deo illos committens, ad GOZGANGIAM iter diuertit. in hac siquidē ciuitate miræ magnitudinis ac pulchritudinis templum fuit, sed Episcopus cum de fide Christianæ religionis eos per interpretem alloqueretur (Nam Dux ad sua negotia iam ab eo discesserat) illi ad omnia paratos se asseriebant, si modo sanū eorum intactū remanere potuisset: magnis enim sumptibus nuper extructum fuerat, multumque in eo gloriabantur, eo quod videretur magnum totius ciuitatis esse ornementum. Tentabant etiam occulte immittentes quosdam pontificis animum lenire muneribus pro ædis conseruatione. Tandem rogantes, ut vel in basilicam ordinaretur. Sed Episcopus constanter agens, indignum esse dicebat, ædem
sub

VII.

2. Corinth. 6.

sub titulo Dæmonis ædificatam immundoq; ritu profano tam diuinis vsibus mancipari. Nam quæ conuentio Christi ab Belial, aut quæ communicatio templo Dei cum idolis? Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid seminatis frumenta vestra super dumos & spinas? Non puto. Sicut ergo de agris vestris spinas primo eradicatis ac tribulos, vt iactis bonis seminibus, opratas segetes ferre queant, ita & hanc radicem idolatriæ, spinam prædicationis, de medio vestrum funditus extirpate, vt de bono Euangelij semine corda vestra fructificet in vitam æternam. Hæc & alia huiusmodi sermonibus oportune, & importune, obsecrando, increpando, arguendo per singulos dies insistens duros gentilium animos tandem ita emolliuit, vt ipsi ædem execrabilem, de qua tota quæstio fuit, suis manibus confringerent & simulachra protererent.

DE ADVENTV LEGATORVM
eius, & præparatione dedicationis templi.

VIII.

DVM ea gerebantur, legati marchionis ABELBERTI de SAXONIA superuenere, opera & statum Episcopi studiosè inquirentes, marchio etenim cum esset amicus valde ac familiaris Episcopo, in gente barbara huc periclitari metuebat: vnde si opus haberet, præsidium & opem ei ferre cupiebat. Astuere etiam ipsius Episcopi œconomorum nuncij, aurum, & argentum, vestes quoq; & alia necessaria ei deferentes: vt enim supra dictum est, licet Euangelium annuncians de Euangelio viuere deberet, ipse nihil horum vti volens, suis se tantum sumptibus transigebat. Igitur legatos omnes apud se ibi